adoptatum esse ad vitam aeternam, si praevaricatus es resipisse, id erit lapsus ad mor-
tem, condonabitur tibi propter Christum Mediatorem, erige modo animum tuu fidu-
cia illius, et quae ad gloriam nominis eius maxime pertinent, ea deinceps statue tibi
qua vita quam morte constanter & fortiter perficienda. Vale. Tuus sosper dii cum
Christi Johannes Molanus.
Bremae natiuit. Johan. 1.5.4.8.

Nr. 24)

Gerardo Stedingo Witebergae.

Pax DEI per Jesum Christu.

Dilecte Stedinge. Quod D. Philippus qualecunque carmen nostru non fastidiue-
rit, meum animu non mediocriter recreauit, non sane quod aliquam inde mihi lau-
dem expectem, aut expetam homunculus apud omnes ordines contemptus, sed quod
debilitatu iampridem et prostratum hunc animu (in illa quasi confessione quadam
meae fidei) tanti viri iudiciu erexerit nonnihil et confirmarit, ora pro me dulcissi-
me Stedinge, vt qua me pusillanimem semel DEVS gratia complexus est in filio di-
lecto, eadem vsque ad extremam vitae metam me prosequatur. Non temere id abs te con-
tendo. Nam non facile credas post illam duram et diuturna Domini castigatione
(de qua prioribus ad te literis aliquid scripsi) quantu mihi decesserit, non de corpori[s]
tantu valetudine sed de contentione ~~[illegible]~~ animi et de pietatis ardore. Nisi quod
nonnulla fiducia pendeo ab humeris filij DEI nihil mihi iam opis reliquu est. nul-
la aliunde ostenditur spes salutis. Te (quaeso) ne me excutias Christe ἀρχιποίμην Pas-
tor animae meae, ne ouem errantem et stupidam Sathanae hostis tui praestigijs impedi-
ri posthac sinas propter nomen tuu. Amen. Quod scripsisti de carmine vulgando,
quamuis nihil minus sperem, neque dubitem esse in eo quae iustam reprehensionem ef-
fugere non possint, tamen si dignetur aut D. Philippus aut aliquis praeceptoru vestro-
rum, saltem maiores naeuos deraderem, non inuitus patiar vt hac in re animo tuo ob-
sequaris. Reliqui in patria adolescentes multos, propter dira Pontificu tyrannidem,
infidelius institutos, ijs vel propter argumenti praestantia, nec inutile foret (scio) nec
ingratum. Eorum me recordatio angit interdum, nihilque est quod malim quam quoque
modo apertiorem fidei et doctrinae confessionem apud illos reddere, (quos olim parti[m]
insipientia, partim formidine prohibitus) ~~partim~~ fraudaui luculenta veritatis commu-
nicatione. Res nostrae sunt eo loco prorsus quo hactenus hic fuerut. Henricus Wig-
boldus ad fratris nuptias nuper huc venit pluscolos dies commoraturus. In schola
doceo gram. Lenardi Domi coepi rursus proponere aliquot adolescentibus Locos
Philippi. Theodorus adhuc apud me est. Eius pater D. Doctor Lambertus hor-
tari non desinit vt me tandem ad Academia, cum filijs suis transferam, no solu
filioru, sed etiam mea causa, vt possim aliquando ex animi mei angustijs eluctari.
Id mihi per Bremenses liberum est, qui ante triennium dimittere maluissent hospi-
tem, quam retinere. Sed ego tam nullius animi sum, vt nisi extrudar non audeam pe-
dem ex cauerna proferre. Cassander inuitauit me ad ripam Rheni, nisi parcam, for-
te vt breui et vxorem hydropis et me suffocet melancholia. Vxor certe iampridem
macra manu tumidu pedem prensat, et ego ex atra bili nuper pene in desperatione
incidi, vt nobis a Cassandri vaticinio sit metuendu, nisi in DEO qui vitae resti-
tuit mortuos spem fixam haberemus. Ei dum nostra probemus in Filio non ad-
modu videtur laborandum, quo loco putrescamus. Vale. Bremae Calend. July 1.5.
4.8. Rescribe de tuis studijs aliquid si vacat. Saluta tuos commilitones. Iteru
vale.
Johannes Molanus.

[= Mscr. a. 11. Nr. 154]

Nr. 25)

D. Doctori Lamberto ab Haer

Pax DEI per Jesu Christum

Honorande Domine D. quod me Galli expectatio frustrata sit, non mediocriter
dolee

[= Mscr. a. 11: Nr. 158]

hac enim spe duraueram hactenus, quod illius aduentus properationem bonâ meris partem
adimeret fatigato. Quanquam praesagijt semper animus aegre impetratum iri, ut adolescens
ad unguem eruditus ad nostrae humilitatis societatem sese dimitteret, praesertim cum haec scho-
la nullam apud vos habeat singularis doctrinae commendationem. Consilium vestrum de
Theodoro non tam mea quam ipsius causa valde mihi probatur. Magni enim refert eum quem
Ecclesiae destinaueris, anno saltem uno et iterum altero Phil. Melanth. auditorem esse.
Tum autem quamvis aliquid hic operae pretium facere possit, tamen ea est aetate atque ita con-
firmata puerili doctrina ut ipse iampridem eum instigauerim ad tale quiddam, vestrae per
epistolam proponendum, gaudeoque petitionem eius non irritam apud patrem fuisse. Illud ta-
men ex meo animo addendum est, non posse Theodorum amandari nisi simul et Rudolphus
adiungatur, qui tum propter nocturnam aegrotationem, tum propter omnium rerum incuriam
ab illo suo custode (quem iam non minus quam Magistrum metuit) sine magno suo in-
commodo nequit seiungi, ut ne addam quod (sine tali paedagogo qui eum assiduo obser-
uet et compescere cum opus est possit) esse in aliquo puerorum grege non potest. Quantum au-
tem sudauerim hactenus, dum eum aliquo pacto in ordinem redigo et custodi suo praestare
obsequium doceo (quam ego hoc ipsum ex mea fide facere debuerim) non decet hic commemorare.
hoc certe longi temporis indefessa patientia perfecimus, ut apud quoscunque vivat (modo hunc
ducem habeat) tranquillus esse possit, et aliquam pro suo modo (vel exiguam) operam ponere in
rebus necessarijs discendis. Florentius (quamvis imbecilli est corpore) tamen in studio non
poenitendos progressus facit, quod quidem re ipsa ostendi satius est quam a me praedicari.
Is si apud me relinquitur, post paucos annos cum pueri et ingenium et eruditionem mo-
ra temporis roborauerit, volente DEO tempestiuus ad Academiam ibit. Mearum rerum
constitutio sic impedita est, imo vero meus pusillus animus ita expers consilij est in tan-
ta omnium rerum perturbatione, ut de nido deserendo sine legitima vocatione non audeam co-
gitare, certe ante proximum Ver, nisi me isti extrudant, nihil mouebo. Interea quod possi-
bile est, quanta possum sedulitate considerans, quid res tempusque postulet, quo me Domini volun-
tas inclinet, quid denique horum quos habeo puerorum usus moneat, auscultabo. Filius DEI
redemptor noster qui nos peccatis immersos et in Sathanae regno quondam vagantes per
Euangelium collegit in regnum suum, in iustitia et sanctitate vera retineat, faciatque vos
vestros ut in omnibus consilijs et periculis nostris ipsius Spiritu agitati, faciamus nobis
et alijs nostrae fidei commissis salutaria. Amen. De pecunia non laboro, imo ante Micha-
elis nihil mitti postulo ac ne tum quidem nisi magna opportunitas inciderit. Pueri aeter-
nam salutem vobis meam precantur. Valuerunt hoc toto anno quam bellissime omnes et vna
eadem valetudine sunt, praeterquam quod per illa Florentij rursus nobis negocium exhibuit, a
quo nunc beneficio Christi leuati sumus. Vale. Bremae Nonis Iulij. 1548

Johannes Molanus

A. Petro de Spina.

Pax DEI per fidem in Jesum Christum.

Nr. 26)
[= Mscr. a. 11: Nr. 159]

Octauo Calend. Iulij scripsi quaedam breuiter et (qui meus mos est) inepte de rebus ne-
cessarijs et omni sermone per omnem hanc vitam opulenter usurpandis. Eodem ni fallor
die tu quoque prolixam et ardentem epistolam concinnasti. Eam mihi pridie Idus Iulij
Johannes Blondus reddidit, Dantiscum hac proficiscens, de qua quamquam ut dignum queo
dicere, fateri tamen debeo mirifice eam meum animum commouisse dum meum mihi frigus
exprobrat, et socordiae me atque ignauiae conuincit. Nullum illa quidem in me verbum dixit
at tamen iste ardor asserendae purioris doctrinae, et sustinendi certaminis pro gloria DEI
luculenter in epistola tua sese manifestans, acrius meum torporem pupugit, quam si aspera obiur-
gatione perstrictus essem. Quo autem minus mihi mea placet glacies, hoc magis approbo
atque exosculor istam in vobis pietatis alacritatem, quae si in ijs constans fuisset, quicunque
ad alios Euangelij lucem in nostra patria porrigerant, iampridem illic quaedam visi-
bilis Ecclesia Jesu Christi inter Sathanae synagogas emersisset, nunc dum vel timide

profugimus